

Distinctio 19.

Circa distinctionem 19, in qua Magister inquit an persone divine sine equales secundum magnitudinem, id est secundum perfectionem et nobilitatem entitatis, quia causalitas finalis convenit alicui ratione sue nobilitatis, cum causalitas finalis ponatur nobilior ceteris. Quero utrum ens nobillissimum sit ultimus finis Omnium. Quod non, quia alicuius actionis humane ultimus finis est creatura, probatur cum voluntas fruatur creatura. Confirmatur: nulla actio hominis foret viciosa ex circumstantia finis, quia omnis actio hominis esset in finem debitum, quia propter Deum. Contra: Apocalipsis 1 et ultimo: “ego sum alpha et omega, principium et finis”.

Primo, distinguendum de fine. Secundo, videndum que sit formalis ratio cause finalis. Tertio, de quesito. Quarto, movenda dubia. Quantum ad primum, finis in generali dicitur ultimum rei prout nomen sonat, sic etiam punctus dicitur finis lineae et mors dicitur finis et ultimum vite hominis. Sed non omnis finis est causa finalis, quia non omnis finis est propter quid respectu eius cuius est finis. Sumendo igitur finem pro eo cui aliquo modo convenit esse propter quid respectu illius cuius est finis, distinguitur primo sic: quantum quidam est finis generationis et motus, quidam vero finis rei genite, seu quidam est finis propter quem agens agit. Quidam vero finis propter quem aliquid est de fine generationis, dicitur 3 Metaphysice, quod in mathematicis et in immobilibus non est finis, neque bonum.

Finis generationis quadrupliciter distinguitur. Prima distinctio, aut est effectus acquirendus seu perfectio acquirenda tamquam terminus totalis vel formalis, ut domus est finis edificationis, aut est perfectio conservanda, ut cum quis ambulat ut sanitas conservetur, sic etiam intelligentie movent ut agendo et perfectiones communicando ce **-[155b]-** teris continuetur earum perfectio, que est in coniunctione earum ad primam intelligentiam per intellectionem et amorem et in imitatione illius quasi serviendo illi in hoc.

Secunda distinctio finis, qui est perfectio acquirenda vel conservanda, aut sic est finis motus, ut illa perfectio acquiratur vel conservetur mobili, aut alteri ut motus celi ad communicandas perfectiones inferioribus.

Tertia distinctio, aut est perfectio acquirenda mobili pro unionem informationis, aut non, sed secundum quandam attingentiam vel aliquem alium modum unionis, ut locus est finis motus

localis, ut scilicet habeatur locus. Sic etiam obiectum dicitur finis dilectionis, quia dilectio est quasi motus anime ad rem extra et tendentia in alterum. Est enim quasi motus anime ad rem extra, que res aliquo modo attingitur et habetur per actum dilectionis et complacentie et delectationis. Et sic Deus habetur a beatis.

Quarta distinctio finis generationis, aut est terminus per se primus et immediatus illius motus, ut calor calefactionis, aut est terminus mediatus, ut ambulatio est propter sanitatem, licet ubi vel locus sit per se terminus immediatior, finis vero rei genite distinguitur. Quidam enim dicitur finis quo, quidam finis cuius. Patet ex 2 De anima: “finis cuius rei genite est illud propter quod et gratia cuius res est, et ordinatur per se ad illud sic quod ordinatur ad serviendum illi vel ad imitandum illud, vel ad attingendum et participandum illud, vel ad uniendum se illi prout potest et sue nature convenit et per servire illi, vel imitari illud vel attingere et participare illud perficitur”. Finis autem quo rei genite est illud mediante quo res attingit finem gratia cuius et per quod unitur illi et participat ipsum, ut potest et per quod completur ordo rei genite in finem, gratia cuius est sicut habitatio et defensio a frigore et calore est finis quo ipsius domus et usus instrumenti artificialis vel organi naturalis est finis, qui illius et universaliter propria operatio rei est finis quo illius, quia est illud medium per quod et est copula mediante qua res unitur fini, et attingit suum finem, secundum quod nature illius rei convenit per suam etiam operationem assimilatur fini ultimo, et imitatur ipsum, ut patet 2 De anima, et 2 De celo et mundo: “Omnis res, cui est operatio, sit propter operationem illam, finis autem rei genite, que dicitur gratia cuius, distinguitur tripliciter”.

Prima distinctio: quidam est finis gratia cuius alterum est ex natura sua, aut natum est esse per se propter illud et ordinari ad illud, quidam vero tantum ex voluntaria institutione alicuius agentis a proposito.

Secunda distinctio, aut est sic finis gratia cuius est alterum, quod illud alterum ordinatur ad aliquam perfectionem acquirendam, vel conservandam illi fini, sive perfectionem essentialem et primariam, sive accidentalem et secundariam. Et propter illius finis aliqualem imperfectionem et indigentiam sublevandam et universaliter ad aliquam utilitatem et ad aliquod bonum illius finis. Et sic nos sumus finis artificiabilium et multorum ex terra nascentium, que sunt propter vitam hominis conservandam et perficiendam, ut habetur ex 2 Physicorum et ex 2 De anima. Sic etiam materia et forma sunt propter compositum. Sed alius est finis rei genite propter quem

illa res genita est non quidem propter aliquam perfectionem illi fini acquirendam vel conservandam, aut propter illius finis aliquam imperfectionem vel indigentiam sublevandam. Sed magis propter illius finis perfectionem communicandam et participandam vel ab altero imitandam vel manifestandam, et res genita sic ad illum finem ordinatur quod ultimate perficiatur in attingendo, et consequendo illum finem vel imitando et assimilando. Et sic Deus est finis omnium, ut patet ex 2 De anima et 12 Metaphysice. Et hoc modo ens ad finem servit fini, non ut adiuvetur finis, sed potius ens ad finem.

Tertia distinctio: quidam est finis rei genite ad quem res totaliter vel principaliter ordinatur, sic quod nisi ille finis foret, res illa non esset vel frustra esset, ut cyrotheca ordinatur ad manum et sotular ad pedem. [156a] Alio modo, non sit totaliter neque sic principaliter, immo quamvis ille finis non foret, nihilominus illa res non frustra esset hoc modo luminaria celi, et aliqua animalia sunt propter hominem, licet non omnino frustra essent si homo non esset. Sic etiam sensus nostri ordinantur ad sustentationem et conservationem vite humane, qui tamen propter seipsos diliguntur, 1 Metaphysice. Nec esset in homine frustra, quamvis homo esset incorruptibilis, sic etiam natura specifica superior est finis imperfectionis, quia inferior ordinatur ad superiorem ut eam imitetur et ei assimiletur. Quanto enim fit illi propinquior et similior, tanto est in sua specie perfectior, et sue ultime perfectioni formali propinquior et consequenter enti primo et perfectissimo, quia natura specifica superior est mensura inferioris secundum mensuram perfectionis, ex 10 Metaphysice. Hoc igitur modo omnes species universi sunt ordinate, secundum Aristotelem 12 Metaphysice, “entia enim non solum ad aliquod unum, sed etiam invicem sunt ordinata”.

Dicunt aliqui quod ratio cause finalis est movere efficiens ad agendum, ut sicut efficientis vel agentis, secundum quod huiusmodi est movere passum vel producere effectum, ita ipsius finis. Sic movere efficiens ad efficiendum, quia propter finem agens agit, sed iste modus movendi est alterius rationis a modo movendi effective. Movere enim proprie est cause efficientis, quia diffinitur quod est principium, unde motus. Sed movere attribuitur fini per modum inclinantis et attrahentis et allicientis, ut amatum et appetibile movet, non motum, 3 De anima, et hoc est movere metaphorice, unde primo De generatione, “gratia cuius, id est causa finalis, non est factiva, nisi secundum metaphoram”. Probatur hec opinio, quia finis habet per se causalitatem respectu illius respectu cuius dicit per se propter quid, quia propter quid et causa. Idem, 2

Physicorum. Sed hoc est respectu efficientis ut efficiens, quia convenienter respondetur ad questionem qua queritur quare *a* agit vel efficit.

Item, per Commentatorem 12 Metaphysice, commento 36: “in nobis differunt illud quod nos movet in loco secundum quod est agens et quod movet nos secundum quod est finis. Habet enim duplex esse in anima et extra animam, quod autem est in anima est agens motum. Secundum vero quod est extra animam est movens secundum finem”.

Item, Commentator in De substantia orbis: “finis significat agens significatione necessaria, igitur ratio cause finalis dicitur respectum ad agens, non autem nisi tamquam ad illud quod ipse finis movet a proposito et circa actiones”.

Item, eadem est ratio cause finalis in communi circa actiones a proposito, et circa actiones alias. Sed in actionibus a proposito, ratio cause finalis est movere efficiens per modum amati et desiderati, quod enim est ultimum in executione, est primum in intentione, et hoc est finis igitur proportionabiliter in aliis actionibus. Ideo, finis erit movere agens per modum termini intenti, ex notioribus enim iudicandum proportionaliter in aliis”.

Contra, sequitur quod omne efficiens secundum quod efficiens moveretur et haberet causam, et esset causatum et dependens a causalitate finali. Consequens est falsum. Patet de primo efficiente, scilicet Deo, et quia homo interdum est causa efficiens et finalis respectu eiusdem actionis.

Item, nulla per se ratio cause ut causa dicit primo respectum et habitudinem ad efficiens, ut causa efficiens, quia ratio cause ut causa dicitur primo respectum ad causatum ut causatum. Confirmatur: causa finalis dicitur per se causa respectu eiusdem effectus, respectu cuius dicitur causa efficiens, idem enim est per se effectus utriusque cause, immo **[156b]** quattuor causarum, quando concurrunt eiusdem enim queritur utraque causa.

Item, illud non est conveniens assignatio rationis cause finalis, quod non convenit cause finali nisi improprie et metaphorice.

Item, in agente a proposito non videtur universaliter verum quod esse causam finalem sit esse illud propter quod amatum vel desideratum et intentum ab agente agens agit, quia agat voluntas *b* effectum propter finem amatum, quero de isto amore oportet quod habeat agens, igitur habet causam finalem, igitur causatus est ex alio amore priore, quia propter finem preamatum. Et

queritur de illo amore in infinitum potest igitur dici quod ratio cause finalis est esse propter quid aliquid, seu gratia cuius aliquid, seu ad quod aliquid ordinatur vel natum est ordinari, ita quod, si sit causa finalis ipsius fieri, tunc est propter quid aliquid fit, si autem rei facte sic est propter quid res facta est. Sic enim assignat Aristoteles 2 Physicorum dicens: “alio modo dicitur causa ut finis, hoc autem propter quid est”. Et 5 Metaphysice: “amplius causa dicitur ut finis, hoc autem est cuius causa”. Confirmatur: illud videtur ratio cause finalis, quod queritur in querendo causam finalem, querendo autem causam finalem querimus propter quid et gratia cuius hoc est vel fit, et ad quid ordinatur. Et respondentes propter quid hoc est, reddimus causam finalem.

Ad primum in oppositum, negatur minor. Ad probationem, cum dicimus propter quid hoc efficiens efficit, vel quod hoc agens agit *b* propter *c* non est accipiendum quod *c* sit per se causa agentis, sed quod est per se causa ipsius *b*, ita quod non notatur causalitas finalis respectu cause efficientis. Sed notatur causalitas cause efficientis et cause finalis respectu eiusdem.

Ad aliud, non probat illud esse per se et convenientem rationem causalitatis finalis, sed quod finali cause attribuitur sic movere metaphorice.

Ad aliud intendit solum quod causalitas finalis infert causalitatem effectivam et econtra. Causa tamen finalis non est per se causa cause effective, sed effectus causati ab efficiente sicut causalitas materialis et causalitas formalis se exigunt, et tamen una non est respectu alterius ut causati, sed eiusdem, scilicet compositi, et alia est ratio huius et illius, quia ratio cause materialis est ex quo inexistente fit vel est aliquid. Ratio vero cause formalis est esse illud per quod aliquid est hoc et tale ens essentialiter. Sed ratio cause effective est esse a quo aliquid aliud. Ratio autem cause finalis est esse propter quid aliud. Ad aliud negatur minor, licet interdum illud conveniat cause finali.

Quoad tertium articulum, dicendum quod ens nobilissimum, quod est Deus, est causa finalis ultima omnium aliorum entium. Probatur, quia ratio causalitatis finalis secundum actum vel potentiam est ratio perfectionis simpliciter, alioquin nulla ratio causalitatis erit ratio perfectionis simpliciter.

Item, sicut potentia ad causalitatem effectivam, sic bonitas ad causalitatem finalem, igitur sicut Deus ratione summe potentie est primum effectivum, sic ratione summe bonitatis est finis ultimus secundum resolutionem.

Item, Proverbiorum 16: “Universa propter semetipsum operatus est Dominus”.

Item, Apocalipsis primo et ultimo: “Ego sum alpha et omega, principium et finis”.

Item, 2 De anima: “omnia naturalia agunt ut participant esse divino et immortalis secundum quod possunt, omnia enim illud appetunt”. Et 12 Metaphysice: “in universo omnia enim illud appetunt, et omnia ordinata sunt invicem et ad aliquod unum, et in hoc ordine consistit bonum totius universi. Sicut in exercitu dux et princeps est finis propter quem tuendum ordinatur exercitus, cum alius vult principari, sicut membra exponunt se [157a] ad tuendum caput vel cor.

Item, Commentator 12 Metaphysice, commento 6 et 25 et 36 et 37.

Contra, primo: ut in principio questionis alicuius actionis humane finis ultimus est creatura, ut cum voluntas fruatur creatura et ex intentione agit aliquid contra Deum. Secundo, finis ultimus non habet causam finalem. Sed aliquid aliud a Deo est finis ultimus alicuius causati. Probatur ex primo Ethicorum et 9 Metaphysice: “quedam operationes sunt ultimus finis potentie ut visio est ultimus visus”.

Tertio, quod est appetibile propter se, non propter alterum, non habet per se causam finalem, quia ordinatum ad aliquid propter quod est gratia cuius est appetibile propter illud, sed aliquid aliud a Deo est huiusmodi. Patet de bono honesto, primo Ethicorum, et de scire speculativo, quod est propter se, non gratia alterius, primo Metaphysice.

Quarto, causalitas finalis non est perfectio simpliciter. Probo, quia omnis perfectio simpliciter est esse vel presupponit esse, cum esse sit prima ratio perfectionis simpliciter. Sed causalitas finalis non supponit esse eius cui convenit, sed accidit illi existere in re, sufficit quod sit in intentione.

Quinto, causa finalis ultima creationis mundi est propria utilitas creature et proprium bonum et perfectio creature, igitur non Deus. Antecedens probatur, illud quod ultimate finaliter est, non ut bonitas vel perfectio divina sit, sed ut communicetur creature et participetur a creatura est ultimate finaliter propter bonum et utilitatem creature, quia hoc est bonum et utile creature, et non est ipse Deus, quia sic participare est novum et est formaliter perfectio creature.

Sexto, Deus est primum effectivum omnium, ut in sequentibus probabitur, igitur non est ultimus finis omnium. Probatio consequentie multipliciter: primo ex 2 Physicorum, videtur haberi quod quamvis efficiens coincidat aliquando in idem specie cum fine, non tamen in idem numero, sicut

forma et finis in idem numero coincidunt. Secundo, causalitates intrinsece, scilicet materialis et formalis non coincidunt in idem, igitur nec extrinsece, scilicet efficiens et finis. Consequentia probatur, quia non minorem unionem et connexionem exigunt intrinsece quam extrinsece.

Tertio, nihil est causa sui, igitur nihil agit propter se, igitur primum efficiens non est ultimus finis omnium. Prima consequentia probatur, quia li ‘propter’ dicit causam. Confirmatur: omnis cause efficientis est altera causa, sed ultimi finis non est causa, igitur. Maior probatur, quia omne efficiens causat effective propter finem, et gratia alicuius finis, unde sicut causalitas materialis est propter formalem et ad illam ordinatur, sic effectiva ad finalem. Confirmatur: omnis actionis est aliqua causa: primum effectivum in causando effective est sua actio, igitur primi efficientis ut est efficiens est aliqua causa, non autem ultimi finis.

Quarto, nihil est dignius seipso, sed causalitas finalis est dignior quam effectiva in eadem actione. Probo, quia finis est melior et dignior hiis que sunt ad finem, quia propter quod unumquodque, tale et illud magis. Sed alie cause causant propter causam finalem. Efficiens enim causat propter finem et intendit finem, tamquam illud propter quod et gratia cuius agit. Probatur iterum per Aristotelem, 2 Physicorum et 5 Metaphysice, cuius est causa potissima et optimum, et finis, et bonum aliorum vult esse.

Quinto, sequitur quod causalitas effectiva haberet in Deo imperfectionem annexam. Probo: communicans bonum et perfectionem alteri propter seipsum non dat liberaliter, quia in sic dando est recipiatio ad dantem. Confirmatur 1 Corinthios 13: “caritas non querit quod sua sunt”, sed primum efficiens agit ex caritate et gratia.

Sexto, nulla esset actio. Probo: habito fine propter quem principaliter est actio, cessat actio et frustra sit ulterior actio. Sed principalis finis primi efficientis semper erit habitus a primo efficiente, semper enim est presens **[157b]** sibi ipsi, nec propter actionem haberetur iste finis modo perfectiori, quia Deus propter positionem creature non perfectius habet seipsum vel imitatur vel intelligit vel amat seipsum.

Septimo, causalitas primi effectivi et causalitas ultimi finis habent rationes repugnantes et impossibiles, igitur non coincidunt in idem. Antecedens probatur, quia habent rationem primi et ultimi prioris et posterioris presuppositi et presupponentis, dependentis et independentis. Probo: causalitas enim finalis est prior, tum quia finis movet efficiens ad

agendum finis, autem movet immobiliter. Unde, 3 De anima: “appetibile est primum movens, non motum”. Tum quia inter causalitates simul concurrentes est per se ordo, non enim actualiter sine ordine concurrunt. Confirmatur antecedens, quia causalitas finalis est mere naturalis. Prima ratio contingentie et libertatis convenit causalitati effective, igitur habent causare modis oppositis, scilicet libere et naturaliter.

Ad primum, negatur antecedens. Ad probationem, licet creatura sit ultimus finis illius actus, quantum est ex parte voluntatis que in illa sistit, tamen Deus est causa finalis tam illius actus quam illius creature que est obiectum illius, quia voluntas et sapientia divina refert omnia ordinate ad seipsum, et omnibus bene utitur, et etiam omnia mala ordinat ad aliquid melius.

Ad confirmationem positam in principio questionis, negatur consequentia, quia licet Deus sit causa finalis illius actus, tamen voluntas secundum illum actum non refert creaturam in Deum, nec Deum constituit finem sui actus, sed quantum est ex se sistit in creatura, et quia talis actus habet aliquam circumstantiam prohibitam, vel caret aliqua precepta.

Ad secundum negatur minor. Ad probationem, non sunt simpliciter finis ultimus, sed dicuntur finis ultimus per privationem operis et effectus ulterioris et exterioris, per huiusmodi enim operationes non producitur aliqua res exterior propter quam ut terminum sit illa actio, sic per edificationem producitur domus.

Ad tertium, negatur minor. Ad probationem, bonum honestum creatum non est appetendum propter se simpliciter per exclusionem relationis actualis et habitualis ad alterum, scilicet Deum. Sed non propter alterum bonum creatum, nec propter aliquod opus hominis, nec propter aliud bonum formaliter inexistens homini acquisibile in via sic etiam propter se, quia si iuxta apparentia in lumine naturali non esset aliud bonum hominis quam in vita presenti non esset aliud magis bonum, ad quod hoc esset referibile, adhuc hoc esset appetibile propter se, id est absque relatione ad bonum alterius generis.

Ad quartum, negatur antecedens specialiter de causalitate finali, que est esse illud propter quod principaliter et ultimate attingendum et participandum vel imitandum aliquid est, non accipiendo finem propter quem generandum vel perficiendum aliquid agit. Hec enim ratio finis includit potentiam et imperfectionem, et de tali procedit probatio antecedentis.

Ad quintum, proceditur de fine quo qui est formalis perfectio creature per quam creatura attingit finem ulteriorem gratia cuius est, ideo illa utilitas non est ultima causalitas finalis simpliciter, nisi in ordine cause finalis quo potest etiam dici quod Deus est summa utilitas et summum bonum creature.

Ad sextum, negatur consequentia. Ad primam probationem, licet Aristotelem non dicat efficiens et finem coincidere, sicut dicit de forma et fine, non tamen hoc negat. Item, loquitur de fine generationis et actionis qui est terminus ad quem et talis numquam coincidit in idem numero cum efficiente. Ad secundam probationem consequentie, negatur consequentia. Idem ei non potest informare seipsum, idem autem non potest agere gratia sui. Ad tertiam, negatur consequentia, cum enim dicitur *a* agere propter se non notatur causalitas, id est *a* respectu ipsius *a* ut causabilis, sed notatur in *a* quasi duplex causalitas respectu eiusdem causati *a*, enim agere propter se est *a* esse causam finalem illius causati, cuius est causa effectiva, ita quod li [158a] ‘propter’ repetet idem pro causa finali respectu cuius notatur esse causa efficiens. Ad primam confirmationem, patet ex dictis. Efficiens enim efficere propter finem non est finem esse causam efficientis. Sed est finem esse causam eius quod efficiens efficit. Ad aliam confirmationem. Si Deus sit actio secundum quam formaliter Deus est agens, negatur maior. Sed actionis secundum quam formaliter aliquid agitur est aliqua causa, si effectus sit actio secundum quam formaliter effectus agitur. Si autem actio sit effectus vel in effectu a qua denominatio sumitur secundum quam Deus denotatur agere et effectus agi, negatur minor. Ad quartam, negatur minor, si intelligitur universaliter. Ad primam probationem, patet ex dictis. Ad secundam intelligitur ubi est distinctio cause finalis principalis ab efficiente.

Ad quintam, negatur consequentia. Ad probationem, dicendum quod qui alteri dat propter seipsum principaliter sic recipere, ut aliquod commodum affuturum sibi proveniat, non dat liberaliter. Sed si das mere liberaliter, ille cui das est finis ultimus per privationem finis ulterioris, cuius commodum queratur, tamen dans mere liberaliter potest esse finis ultimus sui doni, non quod sit finis reciprocus ut det propter commodum sibi affuturum, sed ut bonum sibi communicetur et participetur et reluceat in aliis, et ut sit et manifestetur esse talis quale convenit esse bonum perfectum. Ad confirmationem, secus est in nobis et in Deo, quia in nobis non est idem bonum proprium et bonum commune, homo etiam est finis sub fine, et finis ad finem, et finis regulabilis per alterum, non autem Deus, ideo quod facimus ex caritate non referimus ad

nos, nec in caritate querimus proprium. Deus autem, quia est bonum commune et finis ultimus et generalis et regula aliorum, ideo agit mere gratis et caritative, et tamen propter se.

Ad sextam, negatur consequentia. Ad probationem, habito sine propter quem, ut terminum generandum precise erat actio, cessat actio, nisi ille terminus sit continue in causari a sua causa productiva. Sed habito sine sub illa ratione et conditione sub qua dicitur causa non cessat actio, immo dum finis causat in suo ordine, tunc est causatio effectiva. Si etiam actio sit ad finem continue et perseveranter attingendum et participandum habito fine non cessat actio, ex quo finis non haberetur, sed desineret haberi, si cessaret actio. Sic autem est in proposito.

Ad septimam, negatur antecedens, ad probationem negatur assumptum. Si intelligitur universaliter, nec est verum quod efficiens moveatur a fine, licet in agente a proposito, interdum notitia et amor finis moveat animam ad agendum aliquid, ideo transsumptive dicitur in aliis finis movere efficiens, nec oportet universaliter ordinem per se esse inter causalitatem effectivam et finalem, quia interdum idem est.

Ad confirmationem, negatur quod causalitas finalis divina sit mere naturalis. Deus enim non causat finaliter de necessitate nature, quia causaret necessario effective, tamen secundum quid et ex suppositione, et quasi ex necessitate consequentie causat finaliter naturaliter, quia posita creatura Deus ex sua natura habet quod sit eius causa finalis, ita etiam et quod sit eius causa efficiens, tamen causalitates alie dicuntur naturales et effectiva dicitur libera, quia ubi causalitas finalis separatur ab effectiva non habet libertatem, sed econtra, ubi effectiva separetur a finali. Si enim essent due substantie rationales et libere, quarum una, scilicet *a*, haberet causalitatem effectivam non finalem, et alia *b* haberet causalitatem finalem non effectivam *a* in causando effective causaret libere, non autem *b* in causando finaliter voluntas etiam tua, licet sit causa libera eius, cuius est causa effectiva, tamen non causat finaliter libere illud [158b] quod sit propter illam et gratia illius non ab illa.

Quantum ad quartum articulum.

Primum dubium: an causalitas finalis sit vera causalitas realis. Quod sic: 2 Physicorum et 5 Metaphysice ponitur una de quattuor causis per se. Et probatur ibidem esse causa, quia terminat questionem propter quid, immo dicitur esse potissima causarum. Contra, quod non est vere res, aliqua non est vere et simpliciter causa realis, sed contingit aliquid esse vel fieri propter finem,

qui non sit vere res aliqua, igitur secunda pars antecedentis patet, tum de fine generationis. Sanitas enim non est propter quam sit deambulatio vel medicine preparatio, et domus nondum est dum edificatio est. Tum de fine quo rei genite, quia res genita est dum eius propria operatio non est. Tum de fine cuius, quia domus fit propter filium qui nondum est natus, et instrumentum sit propter archam, que nondum est, et semen est propter arborem, et fructum que nondum sunt, immo contingit illud ad quod effectus ordinatur esse impossibile. Voluntas enim potest velle et agere propter falsum et impossibilem finem sibi prestitutum. Sed prima pars antecedentis probatur multipliciter. Primo, per locum a toto in modo, quod enim non vere, et realiter est non est vere realis causa. Secundo, quia causa et causatum sunt correlativa que posita se ponunt et perempta se perimunt. Et 2 Physicorum, causa in actu in effectus simul sunt et non sunt, impossibile enim est quod aliquid vere et realiter causetur, et quod nihil sit ipsum causans.

Tertio, impossibile est quod *a* nihil sit et quod sit vere et realiter effectus cuiusdam entis, igitur magis impossibile est quod *a* nihil sit, et quod sit vere et realiter causa cuiusdam entis.

Quarto, respectu omnis per se causa est per se dependentia in causato, sed ad *a* non ente nulla est per se dependentia.

Quinto, causare finaliter est conditio perfectionis simpliciter, quia attribuitur Deo, igitur supponit esse, quia esse est prima ratio perfectionis simpliciter.

Sexto, causa est ad cuius esse sequitur aliud, igitur oportet esse cause precedere, si dicitur licet non sit in actu in se formaliter, est tamen in intentione agentis, et hoc sufficit ad hoc quod sit causa propter quam agens agit. Contra: primo, quod simpliciter et absolute nihil est non est vere et simpliciter causa realis, sed quod est tantum in intentione simpliciter et absolute nihil est, quia esse tantum in intentione est esse secundum quid, et convenit ei quod est creandum, igitur. Maior probatur per media predicta, et ita stant rationes prioeres. Confirmatur: quod non habet esse magis quam figmenta et impossibilia non per se et vere causat, sed quod est tantum in intentione ex eo quod est in intentione non est magis ens quam figmenta et impossibilia, quia impossibili non repugnat habere esse in intentione, sicut de fine intento ab infideli. Secundo, contra responsionem sequitur quod causalitas finalis non sit alterius rationis a causalitate effectiva. Probo, quia finis ut in intentione agentis non habet aliquam causalitatem aliam a causalitate effectiva, sicut nec aliud esse habet quam esse agentis intendentis. Patet specialiter in activo naturali in quo intentio finis non est aliquid additum activo. Patet per Commentatorem, 12

Metaphysice, commento 36, “balneum duplicem habet formam in anima et extra animam”. Forma autem balnei secundum quod est in anima est agens desiderium et motus, secundum vero quod est extra animam est finis motus non agens.

Tertio, sequitur quod causalitas effectiva erit prior et dignior et principalior quam finalis. Consequens est contra Philosophum, 2 Physicorum. Consequentia probatur: quia quod non habet esse nec causare, nisi ut in alio presupponit illud et est posterior [159a] illo et causat virtute illius in quo sic continetur eius causalitas.

Quarto, contra responsionem: finis non est causa sub illo esse seu secundum illud esse, quod non desiderat haberi et acquiri, nec convenienter respondetur ad questionem factam propter quid, nec ad ipsum ordinatur effectus. Sed finis non appetitur haberi et acquiri in intentione, sed haberi realiter in actu, nec convenienter respondetur quod ideo talis actio est ut habeatur finis in intentione, nec ad hoc ordinatur. Patet per Commentatorem, ubi supra, igitur.

Confirmatur: finis sub illo esse et secundum illud esse est causa finalis secundum quod habet rationem ultimi et optimi, ex 2 Physicorum. Sed hoc est secundum esse reale et actuale in se formaliter, non ut habet tantum esse in intentione.

Quinto, finis non est per se causa finalis sub illo esse secundum quod habetur a principio actionis, immo ante actionem. Probatur, quia a principio cessaret actio, habito enim sine secundum illud esse propter quod nata est esse actio frustra amplius agitur nova actione. Sed esse in intentione est esse secundum quod finis habetur a principio actionis vel ante actionem, igitur.

Sexto, nihil sub esse ignobiliore et imperfectiore est per se causa finalis alicuius sub esse perfectiore et digniore, quod enim est propter alterum et gratia alterius ut cause finalis est secundum quod huiusmodi imperfectius et inferius illo. Sed rem esse in actu reali intrinseco est ipsam esse modo perfectiore quam esse tantum in intentione agentis, quia hoc est esse secundum quid, et convenit etiam impossibilibus, immo in hoc esse conveniunt finis perfectior et finis imperfectior, igitur res ut habet esse in intentione non est causa finalis propter quam aliqua res actualiter est. Ex isto potest argui quod finis generationis et motus secundum terminus ad quem totalis vel formalis non sit causa finalis propter quam causaliter sit actio vel quare agens agit, quia aut esset causa antequam agens agat aut postquam egit, aut dum egit et movet. Non primum,

nec secundum, quia causalitas finalis esset sine causalitate effectiva et econtra, et ita non requiritur ad actionem. Si tertium, contra: quia idem non est causa sui et specialiter idem secundum esse ignobilius non est causa sui ut sub esse perfectiori. Nobilium enim non per se ordinatur ad ignobilium. Sed res ut in actu completo habet esse perfectius quam ut in fieri et in actu premixto potentie, igitur.

Secundo principaliter, arguitur sic: omnis vera et per se causa est naturaliter prior causato. Sed finis non est huiusmodi, quia non habet rationem prioris sed posterioris et ultimi respectu eius cuius est finis. Patet ex quid nominis: hoc ei sonat nomen finis. Probatur iterum, quia 5 Metaphysice, prius natura dicitur quod potest esse sine alio, non econtra. Sed 2 Posteriorum dicitur: Si finis est ea que sunt ad finem sunt, non econtra, igitur.

Tertio, illud non est per se causa a quo non dependet per se effectus. Sed a fine gratia cuius est effectus non dependet per se effectus, igitur. Maior patet, quia effectus sufficienter dependet ex suis per se causis, aliter quodlibet posset dici causa cuiuslibet. Minor primo probatur, quia ut probatum est, contingit talem finem non esse, dum effectus sit vel est. Sed ens non dependet a non ente, nec entis terminat dependentiam illud quod nihil est. Secundo, quia effectus non minus ponitur in esse quando frustratur et privatur suo fine quam si assequatur finem, igitur eius esse non dependet a fine. Confirmatur: quia non minus habet et capit esse si agens nullum finem intendat quam si idem agens intenderet finem respectu eiusdem vel consimilis effectus ut fricatio barbe et elevatio festuce potest fieri sine deliberatione et sine fine intento, et effectus casualis et fortuitus non minus sequitur ex suis causis quam alii.

Tertio, ab illo magis dependet effectus, quod magis requiritur ad eius positionem, et per consequens habet magis poni causa illius effectus. Sed locus et tempus magis requiruntur ad positionem effectus quam finis gratia cuius et ad quem ordinatur effectus, quia sine existentia et praesentia illorum non potest poni, igitur.

Quarto, nullus effectus dependet per se ab illo quod respicit contingenter et per accidens, et ad quod vel eius oppositum se habet indifferenter effectus. Sic est de eo gratia cuius fit et est effectus. Probo, quia idem effectus qui ordinatur ad hunc finem poterat esse a voluntate ad alium finem oppositum vel disparatum, vel propter nullum finem alterum, sed tantum propter se, igitur.

Quarto principaliter, si finis est simpliciter et per se causa, maxime esset causa illius respectu cuius dicit propter quid et quod est gratia ipsius. Sed hoc non probo, quia finis dicit propter quid respectu efficientis, ut efficiens est et efficiens est efficiens gratia finis. Et si queritur propter quid agens agit, convenienter respondetur propter talem finem, et gratia talis finis. Sed finis non est per se causa efficientis ut efficiens. Primo, quia causa non est per se causa cause ut cause, sed est respectu causati. Causa enim et causatum sunt correlativa ut Pater respectu Filii ut Filii, et quia causa ut causa est terminans dependentiam et est respectu dependentis, igitur.

Secundo, quia idem esset causa suiipsius, quia idem potest esse agens et esse finis gratia cuius agit, ut de Deo qui agit propter seipsum.

Tertio, hoc esset quia li 'propter' dicit causalitatem, sed hoc non valet, quia Deus diligit se propter seipsum, quia fruitur seipso, et tamen ibi nulla est causalitas.

Ad istud dubium, diceretur primo quod causalitas finalis non convenit proprie et per se fini et termino generationis, tum quia nondum est dum actio est, ut supra; tum quia terminus motus magis est effectus cause finalis quam causa finalis. Idem enim est effectus cause efficientis et cause finalis, quia ad eundem effectum utraque causalitas requiritur, tum quia ille terminus ad quem aut esset causa finalis ipsius actionis, et hoc non, quia idem esset causa suiipsius, etiam secundum esse imperfectius esset causa sui secundum esse perfectius, aut causa agentis, et hoc non, quia est effectus eius. Cum igitur dicitur agens agere propter *b* terminum ut propter finem non accipitur finis proprie pro causa finali, sed pro termino et effectu ultimo. Secundo, diceretur quod finis quo rei genite, id est operatio propria rei non est per se et proprie causa finalis illius rei; tum quia res permanet in esse facto, sive illa operatio sit sive non; tum quia res genita magis videtur esse causa finalis illius operationis quam e contra, quia operatio videtur magis esse propter rem quam e contra, quia est ut res perficiatur et finem suum attingat et ei uniatur. Tum quia operatio est ignobilior et inferior, cum sit entitas accidentalis, et res genita sit substantia.

Tertio, diceretur quod causalitas finalis per se et proprie et principaliter convenit fini rei genite gratia cuius perficiendi vel attingendi et assequendi vel imitandi res est totaliter et principaliter, et hic finis est actu prius naturaliter quam effectus fiat. Et sic Deus est causa finalis in omni actione, et etiam ipsum agens. Nam omnia naturalia agunt ut participant esse divinum secundum quod possunt specialiter in hac conditione quae est habere esse immortale. Deus igitur est causa finalis huiusmodi actionum, quia est illud propter quod participandum et imitandum fiunt

actiones. Agens autem participare dicitur causa finalis eiusdem, quia agit ut in hoc participet esse divinum, et ipsum imitetur quo ad habere esse immortale secundum quod potest, quia etsi in se non maneat, manet tamen in suo simili vel in suo opere operatio, igitur non est finis nisi secundum quid et in ordine ad hunc finem, quia est medium quo attingitur verus finis, unde sortitur denominationem cause finalis ab extremo et termino cui copulat. Contra hanc responsionem primo quod finis generationis sit causa finalis. Patet 2 Physicorum: *sanitas est causa finalis deambulationis sicut ambulatio est causa effectiva [160a] sanitatis*. Confirmatur, quia illud habet rationem cause que convenienter respondetur ad questionem factam propter quid, per hoc enim probat Aristoteles 2 Physicorum, quod finis sit causa. Sed si queritur quare iste ambulat, dicitur ut sanetur. Et per idem arguitur de fine quo rei genite, quia convenienter respondetur, et dicitur quod domus facta est propter inhabitationem, vel propter talem usum.

Item, propter non existentiam istorum non est neganda causalitas finalis, quia etiam finis cuius potest non esse dum res est vel sit. Potest enim fieri domus propter filium qui nondum est, et securis propter archam, et semen propter arborem et fructum. Aliter potest dici quod causalitatem finalem esse causalitatem realem potest intelligi dupliciter: uno modo quod sit causalitas formaliter intrinsece habens actualem realitatem, et quod sit formaliter aliquem res vera, et sic causalitas finalis aliquando est realis, aliquando non. Alio modo, quia non tantum fecte vel metaphorice, nec tantum in existimatione et per opus intellectus, non tantum secundum quid, sed veraciter et simpliciter et realiter hoc est causa finalis. Et sic conceditur quod causalitas finalis est causalitas realis, quia veraciter et realiter et simpliciter, ita est quod *a* sit, et est propter talem finem, et ordinatur vel natum est ordinari ex sua natura ad illum, sive ille finis sit simpliciter, sive non. Sic etiam dicitur quod mors et destructio huius rei est realis, et quod potentia qua *a* potest esse est potentia realis.

Ad primum, in oppositum conceditur maior de causa a qua res sit, et de causa ex qua res sit per quam et secundum quam formaliter effectus est tale ens essentialiter, tamen quod non est actu potest esse causa propter quam et gratia cuius aliquid realiter fit vel est. Si enim forma posset informare, stante quod ipsa non esset, tunc ipsa posset vere esse causa, licet non esset. Et consimiliter cum esse causam finalem sit esse propter quod alterum est vel fit, et aliquid posset esse vel fieri propter illud quod non est, et ad ipsum ordinari. Ideo, aliquid potest esse causa finalis, licet non existat, tamen nullum causatum secundum causalitatem finalem est actu, quin

sibi correspondeat in actuali existentia aliqua vera causalitas finalis, quia tam ipse Deus quam agens particulare.

Ad primam probationem oppositi, dicendum quod quamvis hec propositio ‘*a* est causa finalis’ ut est mere cathgorica et de recto inferat, igitur *a* est quantum foret de virtute sermonis, et ex sensu quem facit antecedens ex formali significatione, tamen accipiendo illam in sensu in quo fit, et ut est implicite et equivalenter ex obliquis et de futuro, vel conditionalis, puta ad *a* assequendum vel aliquo modo habendum *b* fit vel est, sic non valet illa consequentia.

Ad secundam probationem, illud dictum ‘causa et causatum simul sunt et non sunt’, aut intelligitur secundum causare et causari actu, aliter ut si *a* est non tantum in potentia, sed actualiter causans *b*, igitur *b* actualiter causatur ab *a* et econtra. Et non intelligitur de esse actualis existentie, aut illud intelligitur de causa a qua vel ex qua vel per quam, non de causa gratia cuius, vel intelligitur de causa et causato in communi et indeterminate, et sic est verum quod si *a* causatur, igitur aliquid actualiter ens est causans, et econtra.

Ad tertiam negatur consequentia. Si enim *a* est effectus, igitur efficitur, igitur est actu aliquid. Si autem *b* sit causa finalis, sufficit quod ad ipsum assequendum et gratia eius fiat vel sit aliquid.

Ad quartam, dicendum quod sicut causa non dicitur univoce de quattuor causis, ita dependere et dependentiam terminare non dicitur univoce de omni causa vel causato a fine, igitur sic dependet effectus, quia fit propter illum et ordinatur ad attingendum illum, et non foret ille effectus, nisi ab aliquo agente ordinaretur ad talem vel alium equalem finem, et nisi ab agente intenderetur finis huius, et hoc modo dependentie potest ens a **[160b]** non ente dependere, non tamquam ab illo a quo vel ex quo vel per quod sit, sed gratia cuius assequendi. Contra: *b* a nullo dependet, nisi ab efficiente et materia et forma, igitur non dependet nisi ab efficiente et materia et forma. Consequentia tenet, sicut ista ‘*b* a nullo dependet’, igitur non dependet. Antecedens probatur, quia *b* non ab aliquo dependet preter efficiens et materiam et formam, igitur *b* a nullo dependet preter etc. Antecedens ultimum probatur, quia si ab aliquo dependet preter etc, igitur illud a quo dependet est simpliciter aliquid, quod est falsum, quia simpliciter nihil est. Respondeo: si antecedens intelligitur *b*, a nullo ente simpliciter in re dependet etc. Negatur consequentia: si vero intelligitur quod *b* a nullo intelligibili vel ente actuali vel potenciali dependet etc., negatur antecedens. Ad probationem, utriusque non valet, quia li ‘dependet’ ut sumitur in generali et ut extenditur ad causatum respectu cuiuscumque cause habet virtutem

ampliandi li 'aliquid' pro eo quod est simpliciter et actualiter aliquid vel quod potest esse vel existimatur esse aliquid.

Ad quintam probationem, si perfectio simpliciter dicatur perfectio in re cui nulla est imperfectio coniuncta, sic non omnis causalitas finalis est perfectio simpliciter, sed tantum divina. Si autem perfectio simpliciter dicatur conditio non inferens imperfectionem in eo de quo vere predicatur, sed infert ipsum esse perfectius ceteris paribus quam si non haberet, sic non omnis perfectio simpliciter supponit esse in eo intelligibili cui attribuitur. Patet: nec esse productivum ex esse obiectum per se intelligibile et diligibile, nisi intelligatur de illo cui attribuitur mere affirmative et cathegorice et de presenti et in recto.

Ad sextam, sicut causa non dicitur univoce de quattuor causis, ita et illa descriptio cause. Secundum enim Philosophum, 7 Physicorum, "rationes quorundam nominum sunt equivoce, sicut et illa nomina". Potest igitur dici quod ad esse cause effective tamquam prioris a quo sequitur effectus tamquam elicited postorius, et ad esse materie tamquam prioris ex quo subiective, et ad esse forme sicut prioris per quod et secundum quod effectus est tale ens essentialiter, et ad esse finis intentum et attingendum, sequitur aliud. Nisi enim finis preintenderetur ad attingendum non poneretur effectus. Responsio ibi posita, secundum quod finis est in intentione agentis, est vera in agente a proposito. In agentibus autem naturalibus non est proprie vera, sed potest sic verificari ut finem esse intentum ab agente naturali sit agens naturale dirigi et ordinari in talem finem ab aliquo activo essentialiter preordinato et cognoscente, vel est hoc agens agere propter hoc et gratia huius et actionem per se ordinari ad hoc ut talis res acquiratur, et hoc convenit rebus ex naturis suis.

Ad primam igitur improbationem responsionis, negatur maior, nisi de causa a qua vel ex qua vel per quam formaliter est tale ens.

Ad secundam, negatur consequentia. Ad probationem finis, ut in intentione potest sumi dupliciter, vel pro esse ipsius intentionis in qua dicitur esse ille finis, et sic finis ut in intentione est idem realiter quod ipsum effectivum, et sic intelligit Commentator. Et alio modo pro fine qui intenditur, et ille non est causa effectiva, sed finalis ut intenditur, et ut propter ipsum aliqualiter assequendum vel attingendum fit vel est aliquid.

Ad tertiam, patebit infra in quodam dubio.

Ad quartam, hec propositio “*a* quod non est actu est causa finalis”, secundum quod est in intentione agentis, seu secundum esse et sub esse quod habet in intentione agentis, potest intelligi tripliciter. Unus sensus est illud esse in quo et per quod *a* habet esse, cum est in intentione agentis est causa finalis, et sic negatur, immo est causa effectiva, esse enim illius intentionis [161a] est esse principii per se productivi propter aliquid. Sic intelligitur Commentator, dicens quod “forma balnei secundum quod est in anima est movens et agens, quia non est ibi nisi ipse cognitio”. Sic etiam intelligitur dictum quorundam, quod res habet nobilius esse in intentione vel in virtute agentis quam in se formaliter. Alius sensus est *a* quod intenditur ab agente, et dum intenditur et quatenus intenditur est causa finalis, et sic conceditur.

Tertius sensus est *a* esse in intentione agentis et intendi ab agente est per se illud propter quod attingendum vel acquirendum agens agit. Et sic negatur illa propositio quod “*a* sit causa finalis secundum quod est in intentione agentis”, immo secundum esse reale extra, quia agens non agit ad hoc ut intendatur, sed ut realiter attingatur, et ut esse reale habeatur, sive *a* modo sit actu in re, sive non. Et sic intelligitur Commentator quod forma balnei secundum quod est extra animam est movens secundum finem.

Ex his patet ad quartam et ad eius confirmationem.

Ad quintam, conceditur conclusio secundum primum et tertium sensum supradictum, licet enim illud quod est in intentione, et dum est in intentione, et quatenus est in intentione, sit causa finalis, tamen non causat ad hoc quod habeatur in intentione. Sed iuxta sensum secundum negatur minor, illud enim esse intentum ad quod et propter quod attingendum fit et est res, est esse reale et proprium illius finis. Intenditur enim haberi et attingi realiter in se.

Item, maior conceditur, quod finis non sit causa secundum illud esse tamquam secundum esse et propter quod acquirendum vel attingendum sit vel fiat res, et sic negatur minor. Sed si maior intelligitur quod non sit causa secundum illud esse tamquam secundum esse per se concomitans et per se pertinens ad causalitatem finalem, negatur maior. Causalitas enim finalis et causalitas effectiva simul concurrunt, et *a* est causa finalis quatenus gratia eius et ad ipsum attingendum sit actio, dum autem est actio, tunc *a* est illud gratia cuius attingendi agitur, et ita dum est actio, tunc habetur finis sub illa ratione sub qua est causa finalis, quia tunc convenit sibi ratio cause finalis.

Ad sextam, esse ignobilius non est esse causam finalem esse nobilioris seu aliquid sub ignobiliore non esse causam alicuius sub esse nobiliori potest intelligi dupliciter. Uno modo quod esse ignobilius non est illud propter quod acquirendum et attingendum per se et essentialiter ordinatur esse nobilius, et sic conceditur. Et ideo esse reale et completum termini non ordinatur per se et essentialiter ad hoc ut habeatur esse diminutum et parziale fieri, nec ut ipsum habeatur in intentione, sed potius econtra. Alio modo, illud quod pro aliquando non habet esse modo nobiliori et perfectiori non est causa finalis illius quod pro tunc habet esse modo perfectiori, et sic negatur, quia illud quod non habet tunc esse nobilius quam *b* habeat nunc potest esse illud propter quod perfecte acquirendum vel attingendum sit vel est *b*, sicut dum calor sit esse partis actuale et completum, ordinatur ad esse totius acquirendum, quod pro tunc est futurum, et pro tunc est non simpliciter, sed secundum quid. Similiter, securis vel serra que nunc est vel fit potest ordinari ad esse domus acquirendum, quod nunc nec est in fieri, nec in facto esse.

Dices: *a* terminus motus secundum esse reale actuale completum est effectus quattuor causarum, ergo secundum illud esse non est causa finalis cuius oppositum dictum est. Consequentia probatur, quia idem esset effectus et causa sui secundum idem esse. Dicendum: si consequens intelligitur quod esse reale completum non sit illud esse propter quod et ad quod attingendum ordinatur actio. Negatur consequentia. Ad probationem, negatur consequentia, *a* enim secundum esse reale perfectum est causa finalis cuiusdam previi, motus ut sanitas ambulationis est etiam causa finalis **[161b]** generationis ipsius *a* seu ipsius *a* sub fieri et sub esse diminuto, id est partis eius, quia esse partis ordinatur ad esse totius. Sed esse completum termini non est causa finalis ipsius rei genite, et ita idem non est causa sui.

Dices: in productione subita quo modo terminus ad quem est causa finalis productionis.

Responsio: si ibi non sit actio media, falsum est quod terminus sit finalis causa productionis, tamen sic solet dici in proportionem ad productionem successivam, quia omnis productio intelligitur quasi via media inter principium productivum et terminum.

Ad secundum principale conceditur maior de causa a qua vel ex qua vel per quam effectus est tale ens, non de causa, gratia cuius et ad quam attingendum aliquid est vel fit, vel potest dici quod quamvis sit posterior in esse, tamen est prior in intentione agentis, id est ipsi positioni effectus presupponitur quod propter talem finem tale activum agat vel sit natum agere. Ad

tertium conceditur maior, si nullo modo seu genere dependentie causalis dependeat. Sed sicut causa, ita dependentia dicitur equivoce de effectu respectu quattuor causarum. Dependet enim ab effectu ut a quo est a materia ut ex quo subiective et passive, a forma vero tamquam ab eo per quod et secundum quod est tale ens essentialiter, ideo sic dependet ab istis, quia nisi ista essent effectus non esset vel non fieret, sed a fine sicut ab eo propter quod et gratia cuius est, et ad quod attingendum aliquo modo est, et sic dependet quod nisi propter alterum et gratia alterius esset, et nisi ad alterum ordinaretur, non esset nec fieret. In hoc igitur sensu negatur minor. Ad primam probationem patet ex dictis. Ad secundam negatur consequentia. Non enim sequitur quin illa actio esset propter finem, licet non attingatur, nec esset illa actio, nisi foret gratia alicuius finis. Ad confirmationem, negatur assumptum, licet enim fricatio barbe fiat interdum non propter finem deliberatum vel premeditatum ab homine, tamen ille motus habet per se terminum ad quem finaliter et propter quem causaliter natus est esse terminus etc. illius motus natus est esse naturaliter gratia alterius, sicut et effectus agentis naturalis.

Ad quartum, negatur minor. Ad primam probationem patet supra. Cum enim dicitur quod efficiens efficit propter talem finem, non importatur quod finis dicat propter quid et causalitatem respectu efficientis ut efficiens quasi respectu causati, sed importatur duplex causalitas respectu eiusdem effectus, et quod efficiens et finis sibi communicant respectu eiusdem. Sicut enim cause intrinsece habent inter se habitudinem informantis et informati, et tamen causalitas intrinseca non est primo respectu concause, sed respectu eiusdem tertii effectus, ita in proposito. Ad secundam probationem negatur consequentia propter idem. Ad tertiam negatur minor. Ad probationem, li ‘propter’ sumitur ibi non proprie et positive, quasi Deus diligendo referat se ad seipsum quasi ordinabile et ut referibile in aliquid gratia cuius sit. Sed accipitur negative, quia diligit se non propter aliud actu vel habitu, sed sistendo in seipso ultimate terminative.

Secundum dubium: an causalitas finalis sit causalitas distincta a causalitate effectiva. Arguitur quod sic, aliter non essent quattuor genera causarum. Item, quia finis terminat questionem propter quid, aliter quam effectivum. Efficiens enim sic determinat quoniam ab ipso est effectus, finis autem quoniam propter ipsum et gratia ipsius est effectus. Item, aliquid est causa finalis alicuius, et non effectiva et econtra, ut sanitas est causa finalis ambulationis et non econtra. Et ambulatio est causa effectiva san- **[162a]**- nitatis, et non econtra, 2 Physicorum.

Contra: finis non causat nisi ut habet esse in effectivo et in intentione agentis, igitur non habet causalitatem aliam a causalitate effectiva. Antecedens patet, quia fini ut causanti accidit habere esse reale aliud quam in intentione agentis. Consequentia probatur. Primo, quia quod non causat per realitatem propriam, sed tantum per quoddam alterum supplens vicem eius non habet causalitatem aliam a causalitate illius suppletis, quia si aliam propriam, igitur non tantum causat per illud alterum supplens. Secundo, quod non habet esse nisi in opinione non habet aliud esse ab opinione, igitur quod non habet causalitatem nisi ut in quoddam altero, non habet causalitatem propriam aliam ab illo altero. Tertio, per Commentatorem, 12 Metaphysice, commento 36, finis ut in anima et in intentione agentis, movet effective.

Secundo principaliter, omnis causa effectiva alicuius est causa finalis illius, igitur non sunt causalitates distincte genere et vel specie. Consequentia probatur, quia nulla causalitas predicatur universaliter de aliqua causalitate secundum genus. Non ei omnis causa materialis est causa formalis respectu eiusdem, nec e contra. Nec omnis causa effectiva alicuius est causa materialis vel formalis respectu illius, nec e contra. Antecedens probatur, quia agens primum est causa finalis sui effectus. Omne etiam agens secundum est causa finalis sui effectus. Probo, quia 2 De anima, omnia que agunt secundum naturam, ideo agunt ut participant esse divinum et immortale, secundum quod possunt, igitur ipsa sunt causa aliqua finalis sue actionis. Probatur iterum, quia unumquodque agens secundum magis appetit et intendit suam perfectionem et suum bonum quam alterius.

Tertio, principaliter omnis causalitas est causalitas effectiva, igitur. Antecedens probatur. Primo, quia causatum et effectus convertuntur, igitur causa et efficiens convertuntur. Sicut enim causa ad causatum, sic efficiens ad effectum. Patet iterum per locum a coniugatis. Si omne causatum est effectivum omnis causa est efficiens.

Secundo, quia causa diffinitur quod est ad cuius esse, sequitur aliud, quero quomodo hic accipitur sequi. Si pro inferre logice secundum consequentiam propositionum, contra: quia effectus esset causa, sequitur enim effectus est igitur causa est non minus quam e contra. Si pro elici, habetur propositum, quia omnis causa elicit esse sui causati.

Quarto probatur quod causalitas finalis non est causalitas distincta ab aliis tribus causalitatibus, scilicet materiali, formali et effectiva, quia causalitas que formaliter et per se consistit in esse illud propter quod est effectus non distinguitur a causalitate materiali, formali et effectiva. Sed

causalitas finalis est huiusmodi, igitur. Minor patet, quia, 2 Physicorum, sic diffinitur causa finalis. Unde ibi dicitur amplius causa dicitur finis. Hoc autem propter quid est. Maior probatur, quia Aristoteles, 2 Posteriorum, probat numerum causarum per numerum questionum propter quid, et dicit quod tot sunt numero cause, quot propter quid comprehendit, propter quid enim et causa idem. Sed omnis causa terminat vere questionem propter quid, ut ibi ponit Aristoteles. Primo, de efficiente ut propter quid isti pugnant, quia furati sunt aliqua, et quia sunt irati de formali vero et propter quid ysocheles habet tres, quia est triangulus de materiali propter quid est hoc corruptibile, quia habet materiam, et ita esse propter quid est effectus et ratio communis cause.

Responsio: si queritur an formalis ratio causalitatis finalis et formalis ratio causalitatis effective distinguantur, dicendum quod sic. Causa enim efficiens dicitur a quo est aliud. Causa autem finalis dicitur propter quod et gratia cuius est aliud. Si autem queritur de distinctione materiali extra animam, sic dicendum quod aliqua causalitas finalis est realiter causali **-[162b]-** tas effectiva, et omnis per se et proprie causalitas effectiva est realiter causalitas finalis, licet non econtra. Potest ergo dici quod sunt rationes causales formaliter distincte, licet materialiter et subjective interdum concurrant in identitatem realem.

Ad primum in oppositum, si antecedens intelligitur quod finis non causat nisi pro esse in quo dicitur esse, et secundum quod dicitur esse, cum dicitur esse in intentione agentis, ita quod causare non conveniat nisi illi esse, negatur antecedens, quia illud esse est esse principii effectivi intendentis finem. Causare autem finaliter convenit ei quod intenditur, quamvis ipsum tunc non existat. Si vero antecedens intelligitur quod finis non causat, nisi dum intenditur et quatenus intenditur, id est illud gratia cuius aliquid fit. Negatur consequentia, quia sicut gratia eius quod non existit et ad attingendum et acquirendum illud quod non existit contingit interdum aliquid fieri, ita contingit illud quod non existit esse causam finalem.

Ad primam probationem, negatur minor. Finis enim secundum suum modum causandi non causat formaliter per realitatem principii effectivi, sed per realitatem propriam, actualem vel potentialem.

Ad secundam procedendo iuxta sensum secundum predictum, negatur consequentia, quia causalitas finalis potest convenire non existenti. Sed esse formaliter et intrinsece non convenit non existenti. Procedendo autem iuxta primum sensum predictum, non valet argumentum, quia

falsum est quod finis non causet nisi secundum esse et pro esse in alio, immo pro esse proprio formali et intrinseco habito vel habendo. Ad tertiam, Commentator accipit finem ut in anima pro ipsa cognitione et desiderio, et sic est causa efficiens. Sed finis in intentione, id est qui intenditur causat finaliter.

Ad secundum principale, negatur consequentia, sumendo consequens ut est contra responsionem dictam. Ad probationem sufficit quod habeat diversas rationes formales causandi, et in eo quod sunt cause, et quod non convertibiliter concurrant in eodem subiective.

Ad tertium negatur antecedens. Ad probationem primam, negatur consequentia. Nomina enim significant ad placitum et quia ideo omne causatum est effectus, quia omne causatum habet causam efficientem. Sed ex hoc non sequitur quod omnis eius causa sit efficiens, nec etiam est ibi locus a coniugatis, quando inter coniugata est alia differentia significationis quam secundum modum significandi abstractive et concretive. Ad secundam probationem patet supra, respondendo ad primum in precedenti dubio.

Ad quartum, li 'propter' potest sumi large, et sic convertitur cum causa, alio modo proprie et stricte pro esse cuius gratia, et ad quod aliud ordinatur, et sic convenit tantum esse cause finali, et sic negatur maior.

Tertium dubium: an causalitas finalis sit dignior et nobilior aliis. Quod sic, quia est causalitas melior, 2 Physicorum, non esse ultimum finis, sed optimum. Et infra: finis est bonum aliorum et potissimum causa, et ibidem, et 5 Metaphysice, cuius causa optimum et finis aliorum vult esse.

Confirmatur: illa causalitas est dignior cuius bonitas reddit alias causas bonas et effectum bonum, et cuius malitia vitiat actionem, sic est quia bonum actionis et affectus est ex ordinatione et respectu ad finem, et quia cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est etc.

Secundo, illa causa est potior, propter cuius solius carentiam dicitur res fieri, et esse omnino vane, et frustra finis est huiusmodi, 2 Physicorum, igitur.

Tertio, finis dignior est hiis que sunt ad finem, et gratia ipsius finis. Sed alie causalitates ordinantur ad finalem. Alie enim cause causant propter finem, unde 2 Physicorum et 5 Metaphysice, cuius causa optimum est, et finis aliorum vult esse. Confirmatur: pro **-[163a]-** pter quod unumquodque tale, et illud magis. Sed alie cause causant propter finem, igitur finis maxime causat, igitur in ratione causandi est potior. Confirmatur: causa quatenus causa est

potior effectum. Sed causa finalis est causa aliarum causalitatum, quia alie causant propter ipsum et ipsa dicit propter quid respectu aliarum causalitatum. Et secundum Avicennam, finis est causa causarum.

Quarto, illa causalitas est dignior cui repugnat coincidere in minorem vel equalem perfectionem specificam cum effectum quam illa que potest coincidere in eandem vel minorem perfectionem specificam cum effectum. Sic est quia causa efficiens potest esse eiusdem speciei vel inferioris ipso effectum cause etiam intrinsece essentielles sunt perfectionis specificie inferioris et ipso toto. Sed non sic de fine, quia nihil per se et essentialiter ex natura sua ordinatur ad aliud eiusdem speciei vel inferioris.

Preterea, ad confirmationem istorum, quia fini per antonomasiam appropriatur nomen cause. Vocatur enim secundum Aristotelem 'cuius causa'. Et quia cum queritur que sit causa alicuius et qua ex causa sit, intelligitur specialiter de finali. Patet iterum, quia propter quid et causa idem, 2 Physicorum. Sed propter quid specialiter convenit cause finali, ut cum queritur propter quid est vel fit talis effectus. Contra: idem non est nobilius seipso. Sed causalitas finalis et effectiva sunt frequenter idem realiter, ut cum homo vel Deus agit propter seipsum.

Secundo, quia habet indignius et imperfectius fundamentum, quia potest convenire non enti.

Tertio, quod non causat nisi quatenus habet esse in causa effectiva non habet nobiliorem modum causandi quam causa effectiva, quia eius causalitas continetur in causalitate effectiva, nec causat nisi in virtute cause effective. Sed finis non causat, nisi ut in intentione agentis. Aliud enim esse accidit sibi ut est causa finalis.

Quarto, illa est potior causa a qua effectus magis dependet. Minus autem dependet a fine quam ab aliis, quia eius presentiam vel existentiam non exigit.

Quinto, illa causalitas videtur dignior que non potest coincidere in idem realiter cum effectum quam illa que potest. Sed finis coincidit in idem realiter cum effectum, quia tertius motus est causa finalis propter quem est motus, ut sanitas est causa finalis deambulationis, et est effectus eius, 2 Physicorum.

Sexto, hoc esset quia est propter quod et gratia cuius alie cause causant effectum, et ad quod ordinatur effectus. Sed hoc non valet, quia voluntas potest aliquid agere gratia deterioris ut finis.

Dices illud est melius in representatione et appreciatione voluntatis. Contra: non tamen in veritate, igitur non in veritate est dignior causa, licet in representatione voluntatis errantis.

Responsio: si queritur que causalitas sit realiter et simpliciter nobilior. Dicendum primo quod aliqua causalitas finalis et aliqua effectiva respectu eiusdem effectus inequalis vel non sunt equalis nobilitatis, quia interdum idem realiter est efficiens et finis.

Secundo, autem hee causalitates distinguuntur, aliqua finalis est, quedam effectiva nobilior, ut cum homo agit aliquid propter Deum. Aliqua vero econtra, ut cum homo facit securis propter domum.

Tertio, nulla causalitas effectiva est nobilior omni finali, nulla etiam finalis est nobilior omni effectiva. Patet, quia suprema finalis et effectiva est idem realiter. Si vero queritur que sit conditio nobilior vel causare effective vel causare finaliter, licet idem interdum causet effective et finaliter, et licet illud quod causat effective sit interdum eque vel minus nobile, sicut illud quod causat finaliter, sicut agere dicitur nobilior conditio quam pati, licet materialiter et realiter concurrant interdum, sic etiam ponitur quod simplicitas est nobilior conditio quam esse totum et compositum, et tamen interdum illud quod est totum est no **-[163b]-** bilius aliquo simplici, licet etiam omnes conditiones perfectionis simpliciter concurrant unitive in Deo. Una tamen videtur nobilior quam altera, ubi distinguitur ut esse intellectivum quam esse productivum. Eo igitur modo quo contingit dicere alteram istarum causalitatum esse causalitatem nobilioris conditionis videtur quod causare finaliter per se et ex natura rei, non ex institutione voluntatis defectibilis sit nobilior conditio causandi quam causare effective. Probo, quia si he conditiones seorsum convenirent aliquibus respectu eiusdem esse causam finalem inferret illud esse nobilius cui conveniret circumscribendo omnem aliam et conditionem ex qua possit argui maior nobilitas in hoc quam in illo.

Probatur: sit a causa effectiva c , et sit b causa finalis ipsius c , tunc sit aut a est causa univoca ipsius c , aut equivoca. Si univoca igitur eiusdem perfectionis specificice cum c , sed b est nobilioris speciei quam c , quia c ordinatur per se et essentialiter ad b , et est propter b et gratia ipsius, et habetur propositum. Si equivoca, aut igitur est ens imperfectius quam c , et per consequens est imperfectius quam b , et habetur propositum. Aut a est perfectius quam c , igitur c ex sua natura natum est ordinari ad a , ut ad aliquem eius finem, igitur ipsi convenit causalitas finalis respectu c , quod est contra casum.

Preterea, conditio que necessario et per se est habitudo superioris ad inferius videtur nobilior quam illa cui convenit esse habitudinem equalis ad equale, vel inferioris ad superius. Sic est quia quod per se et ex natura sua est finis alterius est nobilius eo, non sic de causalitate effectiva.

Preterea, conditio que attenditur per se penes quantitatem bonitatis vel perfectionis quidditative et essentialis videtur nobilior quam illa que attenditur per se penes quantitatem potentie et fortitudinis, quia bonitas videtur nobilior conditio quam fortitudo. Sed causalitas finalis attenditur per se penes bonitatem et essentialem nobilitatem. Ideo enim hoc est gratia illius, quia illud est melius vel essentialiter superius, 2 Physicorum, finis est optimum et bonum aliorum. Unde, et Deo convenit causalitas effectiva ratione potentie. Causalitas autem finalis ratione summe bonitatis.

Ad primum oppositum conceditur quod ubi sunt idem realiter, hoc non est simpliciter nobilior illo, tamen si iste conditiones accipiantur ut seorsum separabiles in aliquibus abstrahendo a ceteris conditionibus causare finaliter, videtur nobilior conditio, sicut de agere et pati.

Ad secundum, verum est si indignius fundamentum vel quasi fundamentum sibi determinat. Si vero contingit quod interdum conveniat indigniori fundamento, non sequitur quin sit nobilior conditio, ut simplicitas que est nobilior conditio quam compositio essentialis convenit parti et non toti. Negatur etiam minor, immo illud est nobilior quando est.

Ad tertium, si intelligitur quod finis non causat nisi secundum illud esse per quod est secundum quod dicitur esse in effectivo, negatur minor. Sed causat secundum propriam entitatem actualiter existentem, vel potentialiter attingibilem. Si vero intelligitur quod non causat nisi secundum quod habet esse in effectivo, id est secundum quod intenditur ab effectivo. Negatur maior, cum enim *a* dicitur esse in intentione vel in opinione, aliud est esse in quo *a* dicitur poni, et aliud est illud quod dicitur poni in tali esse.

Ad quartum, negatur maior. Magis enim dependet a causis intrinsecis quam ab extrinseco effectivo. Minor etiam non videtur vera, loquendo in generali, quia omnis effectus necessario et per se dependet ab aliqua causa finali. Sed non omnis dependet a causis intrinsecis.

Ad quintum, vera esset maior: si talis causalitas determinaret si **-[164a]-** bi illud. Si vero in aliquibus interdum ita contingit, negatur maior specialiter de fine generationis.

Ad sextum, non est contra responsionem, non enim dictum est quod universaliter causa finalis sit dignior, sed quod causare finaliter per se et ex natura rei est nobilior conditio quam causare effective, separando eas et abstrahendo a ceteris conditionibus. Si autem voluntas agat gratia deterioris, illud non est causa finalis per se ex natura rei, sed ex institutione voluntatis inordinate, sicut autem illud est causa finalis in reputatione voluntatis, ita est nobilior in reputatione et institutione voluntatis.

Quartum dubium, an in ordine actionum naturalium abstrahendo ab agente cognitivo concurrat per se causalitas finalis. Quod non, quia activum eo modo agit propter finem quo modo intendit finem, quia agere propter finem est intendere finem. Sed agens naturale non per se et proprie intendit finem, sed per accidens et improprie, quia intendere proprie est actus cognoscentis, sicut et appetere.

Secundo, agere propter finem gratia finis est ordinare et referre actionem vel effectum ad certum et determinatum finem. Sed solius cognoscentis est per se et proprie ordinare et referre aliquid in alterum, ut gratia cuius sit, quia hoc est distinguere inter bonum et melius, igitur.

Tertio, sola carentia cognitionis finis est causa non agendi propter finem, igitur omne agens per se proprie propter finem cognoscit finem. Antecedens probatur: si ad actionem hominis contingat sequi aliquem finem non precogitatum actu, nec habitu, tunc homo dicitur non intendisse illum finem, nec egisse propter illum finem.

Quarto, vel per se et ex se immediate dirigeret et ordinaret actionem et effectum in finem, aut mediante alio cognoscente. Non primum, quia cecum ut cecum non habet ex se dirigere et ordinare. Si secundum, contra, tum quia secundum philosophos Deus nihil intelligit extra se singulariter et distincte, tum quia ex hoc non habetur quod agens naturale agat per se propter finem, vel quod intendat. Sed tantum primum agens, quia sagitta vel instrumentum motum non per se intendit finem, sed homo utens illo ad illud quod voluerit.

Quinto, aut intendit hunc finem seu affectum numero, aut indifferenter quemcumque eiusdem speciei similem. Non primum, tum quia cum non cognoscat determinate hunc magis quam illum, indifferenter se habet ad quemlibet quantum est ex se, tum quia nunc et alias similiter intendit et idem, quia per idem principium. Si secundum igitur cum agat determinate hunc non illum,

licet non intendit determinate hunc magis quam illum, ita poterit agere talem effectum secundum speciem, licet non per se intendit talem secundum speciem.

Sexto, in actione illius agentis ponitur frustra, exigi causalitas finalis qua circumscripta nihil minus illud agens ageret, et sufficienter poneretur effectus. Agens naturale est huiusmodi. Probatur, quia ex quo mere naturali necessitate agit, eque ageret presente passo. Si ad nullum finem foret suus effectus, et quia effectus casualis vel fortuitus sequitur ad suas causas non minus ageret quam si foret intentus. Homo etiam multa agit sine intentione finis, ut de fricatione barbe, igitur causalitas finalis non per se exigitur ad positionem effectus. Contra: per Aristotelem 2 Physicorum, ubi ex intentione hoc probat, et 2 De anima: “omnia naturalia agunt ut participant esse divinum”.

Item, non essent quattuor genera causarum, contra Aristotelem et alios philosophos. Et probatur, quia questio propter quid non solum terminatur per triplex genus cause.

Responsio: licet non posset evidenter demonstrari naturalia agere per se propter finem, eo quod diceretur quod agunt talem effectum ex sola necessitate et inclinatione nature, tamen probabilius et rationabilius est ponere quod sic. Probatur iuxta dicta Aristotelis, 2 Physicorum, sic: a dispositione et ordinatio **-[164b]-** ne actionum et entium naturalium irrationabiliter, negatur illa conditio cui consonat et conformis est processus nature, et maxime si huiusmodi conditio non derogat, sed attestatur bono et perfectioni nature. Sed esse vel agere propter finem est huiusmodi conditio. Patet in dispositionibus partium animalis vel arborum. Naturalia enim fiunt vel disponuntur uniformiter, sicut si fierent a sapiente intendente talem finem, et sapiens diceret quod ad talem finem conferunt et exiguntur talia et taliter disposita. Hec autem conditio non derogat bono universi, immo consonat, quia maior ordinatio in universo est si hoc per se ordinatur ad illud. Patet 12 Metaphysice: “In tali enim ordine entium inter se consistit bonum universi”, et 1 Metaphysice: “finis est bonum uniuscuiusque. Finis autem totaliter et optimum in natura omnium”. Et 2 Physicorum: “finis bonum aliorum vult esse, immo econtra, tollere causalitatem finalem derogat bono universi”. Unde 2 Metaphysice, “auferentes causam finalem, auferunt boni naturam”. Et 3 Metaphysice: “ubi non est bonum, neque finis”. Et 12 Metaphysice: “tales faciunt inconnexam universi substantiam”.

Preterea, naturalia universaliter aut communiter sic aguntur et disponuntur, sicut apta nata sunt agi et disponi ex natura sua. Sed per se ex sua natura natum est hoc agi propter finem et ad talem

finem. Probo, quia sapiens secundum rectam rationem iudicans dictaret quod ad talem finem attingendum conferunt et exiguntur talia et taliter se habentia, et quod talis finis natus est attingi per talia media, et quod talia media nata sunt ducere in talem finem. Patet in multis naturalibus, specialiter in eterogeneis et animatis.

Preterea, aut voluntas ideo recte refert et ordinat *b* ad *a*, et intellectus hoc dictans ideo recte dictat quod *b* ex natura rei est ordinabile ad *a*, et natum esse propter *a* et gratia ipsius, aut e contra. Si primum, habetur propositum quod una res ex natura sua est gratia alterius, et ordinatur ad alterum, et ita non oportet cognitionem esse in huiusmodi agente. Si secundum, contra: quia intellectus noster et voluntas nostra essent prima regula rectitudinis, et ita non possent deficere in referendo hoc in illud. Ex quo in creaturis nihil est per se ex sua natura propter aliud magis quam e contra, sed tantum ex institutione voluntatis.

Preterea, omnis per se causa requiritur vel concurrat in aliqua actione. Sed finis est per se causa, quia per se terminat questionem propter quid, igitur per se requiritur vel concurrat in aliqua actione. Si autem in actionibus humanis, igitur et in naturalibus. Probatio consequentie, quia si actiones naturales sufficienter perficiuntur ex triplici genere causarum, pari ratione actiones humane, quia activum naturale non magis est sufficiens ponere effectum cum sola causalitate effectiva et materiali quam agens liberum. Potest etiam consequentia, quia si ea que fiunt a natura fierent ab artifice intendente finem, eodem modo fierent sicut nunc, immo ars imitatur naturam, et frequenter perficit que natura inchoavit, et sibi invicem suffragantur. Patet in operatione artis medicine.

Preterea, illa activa sunt apta nata agere propter finem in quorum actionibus contingit interdum aliquid fieri frustra et vane. Actio enim non dicitur frustratoria, nisi quia non attingit finem ad quem nata est esse, 2 Physicorum. Sed sic est in actionibus naturalium, quia dicimus frumentum frustra ortum, si ad maturitatem non perveniat.

Preterea, in actionibus naturalibus sicut in artificialibus contingit interdum error, defectus et inordinatio sicut in artificialibus. Patet in monstruosis, igitur illa activa nata sunt agere propter finem. Si enim nullus finis intenditur et ad nullum finem agitur, non est deviatio qualitercumque procedatur. Ideo enim agens dicitur deficere vel inordinate procedere, quia de **-[165a]-** viat a fine debito.

Preterea, si negaretur, hoc esset propter defectum cognitionis. Sed hoc non valet, quia non est negandum quin arane a faciat telam ad capiendum muscas vel predam, et quin hirundo faciat nidum propter ova et fetus, et multa huiusmodi, et tamen non cognoscunt talem finem, quia aranea statim nata texit telam, sic etiam viator actu agit viam propter finem de quo non cogitat actu.

Ad primum in oppositum, intendere potest sumi stricte pro actu anime que est intentio vitalis. Alio modo large, ut intendere finem sit intendere ad talem finem, et uterque modus habet suum per se, et suum per accidens. Concedo igitur quod eo modo agit propter finem, quo modo intendit finem, loquendo de differentiis que sunt per se et per accidens, et sic negatur minor, loquendo vero de differentiis que sunt stricte et large, negatur maior. Sic etiam materia non proprie appetit formam, et tamen per se tendit et inclinatur in illam, et grave deorsum.

Ad secundum per idem.

Ad tertium, negatur antecedens. Ad probationem non sufficit, quia activo rationali datum est aliter intendere finem quam activo naturali, quia rationali datum est intendere per actum elicatum cognitionis et amoris vel desiderii naturali, aut per principium inclinativum equivalens virtualiter cognitioni et amori. Ita enim agit ac si amaret et cognosceret, activum etiam rationale non oportet actualiter cognoscere finem propter quem per se agit, ut citharisans agit ordinate percutiendo cordas ad consonantiam et armoniam faciendam, licet non intendat nec advertat.

Ad quartum, utraque pars vera est, etiam stando in lumine naturali. Activum enim naturale natum est per se et ex sua natura agere hoc et taliter propter finem talem, et hoc natum est fieri et esse gratia talis finis ulterioris. Hec etiam ordinatio est ab aliqua superiori intelligentia cognoscente quidditates specificas et actiones et totum ordinem universi, saltem quo ad specificas rationes. Unde, Commentator, 12 Metaphysice, commento 19, “natura agit recte et ordinate tamquam ordinata a superioribus intelligentiis, nec valet illud de sagitta vel instrumento artificiali, quia illud non est per se activum illius actionis que est ab agente a proposito, immo violenter movetur illo motu. Sed in naturalibus tam agens superius quam inferius agunt per se ad idem.

Ad quintum, potest dici quod hoc agens naturale secundum se consideratum non habito respectu ad aliud determinatum coagens, nec ad hoc passum quantum est ex se indifferens ad hunc vel

alium finem seu effectum eiusdem rationis similem, et ab eo possibilem produci. Sed hoc agens ut copulatum primo agenti et ceteris causis superioribus concurrentibus, et ut acceptum cum omnibus circumstantiis hic et nunc concurrentibus intendit determinate hunc effectum numero.

Ad sextum, negatur minor. Auferre enim finem est auferre bonum actionis, et ita est auferre actiones. Effectus etiam casualis non ponitur sine causalitate finali, quia talis effectus est ex natura sua ad aliquem finem meliorem, sicut et omne aliud a Deo agens etiam ad cuius actionem sequitur effectus casualis agebat propter finem, alioquin non esset iste effectus casualis magis quam ille. Et si nulla foret causalitas finalis non foret illa actio ad quam sequitur effectus casualis, ipsa etiam actualis acquisitio effectus casualis est propter finem, sicut via propter terminum et partes propter totum. Dicitur igitur casualis et non intentus per comparisonem ad quandam aliam actionem, et ad quendam alium effectum, cui per accidens et raro coniungitur et per comparisonem ad aliquod agens absolute consideratum, non ut coniunctum et applicatum tali passivo cum talibus circumstantiis. Ad argu -[165b]- mentum in principio questionis, patet in 3 articulo etc.